

Autarcia in excessu opponitur Avaritia, quæ est vitium morale, quo homo nimis appetens est divitiarum.

SCHOLI. Græcè dicitur *πλεονεξία*, q. d. studium plus habendi, unde à poëta dicitur amor habendi: *Tempore crevit amor, qui nunc est summus habendi.* Quò enim plus sunt potæ, plus siccantur aquæ. Dicitur etiam *αίχρο- κέρδεια*, quia cū studio turpis lucri semper est conjuncta. De avaritia ejusque speciebus prolixè disputat L. Dancæus lib. 2. Ethicæ Christ. in explicatione præcepti octavi. Apostolus, 1. Timoth. 6. vocat radicem omnium malorum. Nec in scitè dictum est, *avarum non nisi mortuū rectè agere.* Nota est avaritia Bileami, qui turpi lucro inhians populo Dei maledicere conabatur, Num. 22. & seqq. Nabal erga Davidem nimis tenax cum opibus vitam ferè amisisset, nisi prudens ejus uxor Abigail, regis iram muneribus leniisset. Inter Imperatores Romanos vituperatur Flavius Vespasianus, qui pecuniæ undiquaque corradendæ adeò studiosus fuisse scribitur, ut subditos ex cloacis vectigal solvere coëgerit. Hic idem reprehensus, quòd rapacissimum quemque ad publica munera & officia admitteret, respondisse fertur, se illis uti tanquam spongiâ, quia locupletatos ipse postea spoliaret. Negotiationibus etiam sese immiscuit contra imperatoriam dignitatem. *Princeps enim se regem esse, non mercatorem meminerit:* ut præclarè dixit Q. Curtius. Et sanè nimis hoc malum apud nonnullos in eminentiis constitutos invaluit. Quæ enim mercimonia subditis erant relinquenda, contra dignitatem ad se rapiunt. Cum hoc vitio magnam habet cognationē Tenacitas, quæ Parsimoniæ opponitur. Sed hîc quæstio occurrit: An divitiæ simpliciter sint contemnendæ? Et rectè negatur, siquidem divitiæ per se donum Dei sunt; abusus verò culpandus est. Quoties autem divitiæ à doctis viris contemnuntur, intelligendum hoc est non absolutè, sed comparatè, quatenus comparantur cum bonis animi.

Ex em.

1.

v. ii.

2.

3.

Quæstio.

Bona alia se
animi, alia
fortuna.